



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Cura præparandi se ad mortem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

stituto tempore librum absolui posse. At Pater negauit opus esse quicquam prætermittere, sed commode omnia perlectum iri: atque adeo euenit, vt nulla re prætermissa, nulloq; die intermissa lectione (tam constans in recte cœptis, amansq; sanctorum erat) biduo ante eius mortem ad libri umbilicum perueniretur.

*Cura prapa-
rande scad
emoritens.*

Vbi Domini sacer aduentus adfuit, multa cū sociis collocutus de vili præparatione ad Christum excipiendum, de morte, diuinisq; iudiciis, quanquam videbatur multo ei melius factum, valdeq; desederat tumor, aduocauit ad se valetudinario præfectum Patrem, & his verbis affatus est. Mi Pater gratias ago Deo, quod res in hunc locum deducta est: & breui futura est immutatio mea. Proinde obnixet tuam Reuerentiam precor, vt operam des, quo cuncta recte, ordineq; fiant: atq; ego comparem me; & res componam vt iopportet. Inde per languoris nonnullam alternationem sancti Thomæ Apostoli perugilium attigit. Eo die meliuscule habens è strato surrexit, vt consuetas preces exequoretur: inclinato iam die socio adiuuante vespertinam B. Virginis psalmodiam exequutus, vt parumper solus relinqueretur, rogauit:

gauit: eaq; impetrata solitudine, aliquanto tempore perseuerauit in meditatione, dulcique cum Deo congressu. Sub ea tanquam omni perfunctus officio, Nunc tandem, inquit, tempus est, vt decumbam. Dum autem vestes exuitur; repentinus pauor, ac terror incessit, & grauissimis premi cœptus angustiis. Illico accito confessario, tum etiam Rectore Confessionem peregit, vtq; coram pro se eodem loco psalmi, qui Pœnitentiæ dicuntur, & litaniæ recitarentur, orauit: tum vt solitæ preces commendandis morientium animis adiicerentur: quo facto terror omnis, atq; horror euauit. Vnde insolitus motus, & grauis ea perturbatio an ex horribili quapiam specie, cuiusmodi sanctis quoque viris Satan consueuit obiicere; an ex naturali aliquo concussu labascentis terrestris domus coorta sit, Patres, qui cetera notauere non prodiderunt. Postridie diuinissimam Eucharistiam, quam ipse met postulauerat, per se præfatus solennia verba, indignum se profitentis, mirabili prorsus pietate suscepit: perseueransq; deinde in complexu Domini sui gratiis agēdis, & precibus offerendis, magnopere lœtatus est cum cognouit ex P. Rectore Socios quoq; Collegij pro eo preci-

Dd bus

bus omnes insistere. A meridie Præposito sancti
 Nicolai Sebastiano Veronio satis multa dixit, ve-
 rum inter mortuis iam vocibus, nec satis in verba
 formatis; solum intelligebatur, Ecclesiam illi vr-
 bemque Friburgensem impense commendari.
 Hoc nempe indefatigabilem Dei operarium, cō-
 stantemq; Prædicatorem decebat, vt ante vita de-
 ficeretur, quām publicae utilitatis curam depone-
 ret: & supremam voculæ morientis auram in co-
 hortatione consumeret. Etenim subinde Præpo-
 sito eidem, & aliis quibusdam, qui piè flagitabār,
 bene precatus, vix quicquā præterea locutusest.
 Solum, si quis admoueret aurem, cum oculis, ac
 manibus instar sancti Martini, in cælum esset in-
 tentus, audiebatur secum immurmurans, Cupio
 dissolui, & esse cum Christo. Et ex libello manu-
 scripto, in quem selectas precationes contulerat,
 lectitare coepit precationem de felici obitu. Nec
 post multo oculos in conclave ianuam defixit,
 hiliorq; iucundo, & amabili vultu, eodem digi-
 tum intendens. Non videtis, inquit, non videtis?
 Nihil circumstantes viderunt. Nulli tamen du-
 bium fuit, quin diuina ei species aliqua oblata es-
 set. Adhibita deinde suprema yncito, cum Pater
 and

nun-

Sanctissime
 portatur

